alias, prælio graſſantem Danorum audaciam fœliciſſime contudit; eoque adegit ut conceptis verbis jurarint ſe protinus ex Anglia ceſſuros. Quo etiam in loco Guilielmus de *Edindon* Epiſcopus Wintonienſis, qui ſumma erat in gratia apud Regem Edwardum Tertium hinc oriundus, & nominatus Collegium *Bonis*, quos dixerunt, *hominibus* erexit. Sed ad rivulum, quem dixi, paulo ſuperius colli inſidet *Trubridge*, olim Truþabriȝ, id eſt, *Pons firmus & fidelis.* Sed qua tamen de cauſa hoc nomen inditum fuerit, minime conſtat, Lanificii gloria nunc inprimis floret, caſtrique reliquias oſtendit, quod ad Ducatum Lancaſtrenſem ſpectat. Hoc rivulo *Avona* auctus *Bradford*, olim *Bradenford*, à vado lato ſic nominatum, declivi colli affixum & totum è ſaxo conſtructum reſpergit, ubi Kenilwachius Occidentalium Saxonum Rex civili bello gladium tinxit contra Cuthredum propinquum. Hic Wiltonienſibus valedicit, & Somerſettenſem Comitatum *Avona* ſubingreditur *Aquas Calidas* inviſurus.

Trubridge. Bradford. Anno 652.

Limes autem Occidentalis hujus Comitatus recta hinc in Auſtrum deſcendit per *Longleat*, ædes equeſtris familiæ *Thinnorum* (qui à *Bottevillis* oriundi) omni elegantia, & nitore perpolitas, licet ſemel, atque iterum deflagrarint. *Meyden Bradley* ſic dictum ab altera hæredum Manaſſeris *Biſſet* viri ſuo tempore nobiliſſimi, quæ ipſa virgo leproſa domum virginibus leproſis hic poſuit, patrimonioque ſuo ditavit; ut pater antea eo loci *Prioratum* fundaverat. *Stourton* ſedes Baronum de *Stourton*, quos ad hanc dignitatem evexit Henricus VI, cum opimi proventus acceſſiſſent ex nuptiis cum filia & hærede familiæ *Le Moigne*, ſive *Monachi*, non *Mohun*, ut falſo hactenus à nonnullis creditum, & hinc dimidiatus Monachus flagellifer clypeo ſuperponitur. Nomen locus invenit à *Stour* flumine quod ſub hoc è ſex fontibus ebullit, quos in ſuum clypeum nigrum areola aurea tranſverſe interjecta Stourtoni Domini loci tranſtulerunt.

Long Leat. Mayden Bradley. Stourton. Barones de Stourton 26. H6.

Per *Mayden Bradley*, quam dixi, labitur *Deverrill* fluviolus ſic dictus quod perinde ut Anas apud Hiſpanos, & *Mole* apud nos in Suthreia, qui inde nomina acceperunt, ſe ſub terram immergit, & poſt mille paſſus hic emergens ad VERLVCIONEM properat, antiquiſſimum oppidum, cujus Antoninus Imperator in ſuo Itinerario meminit, quod ſuo nomine non omnino depoſito, *VVerminſter* dicitur ex antiquo illo nomine, & Anglo-Saxonico Winþeþ, quod Monaſterium ſonat, coalitum. Olim immunitates ſuas habuit, ut in libro enim Guilielmi Magni legitur, *nec geldavit, nec hidata fuit*, id eſt, tributum non conferebat. Nunc tantum foro frumentario celeberrimum, vix enim credas quanta vis frumenti ſingulis ſeptimanis huc convehatur, & ſtatim divendatur.

Diver. Verlucio. Werminſter.

Hinc in Auſtrum, Septentriones, & Orientem Solem per mediam regionem, campi ſunt adeo patentes, ut vix proſpici poſſint, unde & nomen *The Plaines*, raris admodum incolis, & latrociniis quondam infames, quos ad Auſtrum duo placidiſſimi amnes ſubluunt, *VVilleybourn*, Aſſerio *Guilou*, & *Nadder*, vulgo *Adderbourn*. *VVilleybourn* ad Verlucionem exoriens per *Heitesbury* ſive *Hegtredsbury*, ſedem Baronum de *Hungerford* ad *VVilley* viculum delatus proſpicit ex oppoſito ſepimentum militare amplum admodum; & profunda, eaque duplici foſſa munitum, quod *Yanesbury Caſtle* vocant vicini, Romanorum fuiſſe caſtra ex forma facile agnoſcas. Sunt qui Veſpaſiani caſtra fuiſſe credant, cum legatus legionis xx ſub Claudio duas gentes hoc in tractu Romano ſubjugavit imperio, nominiſque Veſpaſiani reliquias in nomine *Yanesbury* ſupereſſe opinantur. *Nadderus* ex auſtrali agri limite profuſus ſinuoſo volumine, veluti angui (unde nomen inditum videatur) ſerpit non procul à *VVardour* eleganti caſtro, quod olim antiquæ fuit familiæ *de S. Martino* dictæ. Nunc, ut plures intermedios Dominos ſileam, Ioannis *Arundell*, qui nuper à Rege Iacobo Baro *Arundell de VVardour* creatus, & cum laude memorandus, quod juvenis pio inſtituto in ſacram militiam contra Turcas juratos Chriſtiani nominis hoſtes perege profectus, ob ſingularem virtutem in expugnando Strigonio Hungariæ, honorariis literis ab Imperatore Rodolpho Secundo Cæſare Auguſto Comes Imperii fieri meruit, hiſce verbis, *Quod fortiter & ſtrenue ſe geſſiſſet in apertis prœliis, & in civitatum, & caſtrorum oppugnationibus, & ſpectato fortitudinis exemplo in expugnatione oppidi Aquatici juxta Strigonium vexillum Turcis ſua manu eripuerit, Ipſum, omneſque & ſingulos liberos, hæredes, & poſteros, & deſcendentes legitimos utriuſque ſexus natos, æternaque ſerie naſcituros veros ſacri Imperii Comites & Comitiſſas creavimus, fecimus, & nominavimus, tituloque, honore, & dignitate Comitatus Imperialis auximus, & inſignivimus, &c.* Huic è regione objacet *Hach* hodie parum celebris, ſed quæ Edwardi primi tempore ſuum Baronem Euſtachium de *Hache* inter regni proceres ad Parlamentaria Comitia evocatum habuit.

Yanesburie. Wardour caſtle. Baro Arundell. 1595 Comes Imperii. Hache. Baro de Hache.

Ubi vero hi amnes confluunt, *VVilley VVilton* oppidum aquis irriguum nomini adoptat, olim totius agri caput, cui & appellationem fecit, antiquitus *Ellandunum* dictum. Hoc enim docent membranæ antiquæ, quæ expreſſe habent *Weolſthanum Ellanduni Comitem, id eſt, VViltoniæ*; & alibi, *Ellanduni, id eſt, VViltoniæ monaſteriolum poſuiſſe.* Ex hoc nomine *Ellan* quodammodo inducor hunc fluvium ALANVM eſſe, quem Ptolemæus hoc tractu nominat. Ad hoc Egbertus Occidentalium Rex ſecundum prælium anno reparatæ ſalutis DCCCXXI, contra Beorwulfum Mercium fecit, ſed utrique tam funeſtum, ut profluens ille ſanguine cognato redundarit. Ad hoc etiam anno Salutis DCCCLXXI, Ælfredus cum Danis congreſſus primo victor, ancipiti Martis alea ſtatim devictus ſigna retulit. Saxonico vero ſæculo inprimis civium frequentia floruit, ſacrarum virginum monaſterio ornavit Rex Eadgarus (ut habent Annales) filiamque ſuam Editham præfecit. Verum ex antiqua ipſius Eadgari Charta data DCCCCLXXIIII, antiquius eſſe conſtat. ſic enim in illa ſcribitur, *Cœnobium quod ab atavo meo Edwardo Rege in celebri loco, qui à ſolicolis noto VViltun vocatur nomine fundatum.* Et in vita S. Edwardi Confeſſoris legimus, *Dum S. Edwardus monaſterium B. Petri VVeſtmonaſterii molitur, Editha ejus uxor VViltoniæ, ubi educata fuit, regio opere lapideum monaſterium pro lignea*

Wilton. Elandunum. Alnus fl.

Sarisburie plaines.

eccleſia